



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **MBARARAËNSIS**\* NOVA PROVINCIA  
ECCLESIASTICA MBARARAËNSIS

APPELLATA INTRA FINES UGANDAE CONDITUR Diligentem sane curam continenter adhibemus ut Domini verbum quam amplissimam multitudinem attingat eam terram Africanam incolentem. Quam ob rem nunc aptare properamus ecclesiastica instituta ad eiusmodi propositum commodius assequendum. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. A metropolitana Ecclesia Kampalaënsi *Mbararaënsem* sedem separamus quam ad dignitatem archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus, privilegiis porro additis et obligationibus iniunctis quae sacri canones praecipunt. Novam Provinciam ecclesiasticam constituunt, veluti suffraganeae sedes, dioeceses Arcis Portal, Hoimana, Kabalena et Kasesensis, hucusque Ecclesiae metropolitanae Kampalaënsi subiectae. Venerabilem Fratrem Paulum K. Bakyenga, Episcopum hactenus Mbararaënsem, ad gradum Archiepiscopi Metropolitae Mbararaënsis promovemus secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Robles Diaz, Archiepiscopum titulo Stephaniacensem atque in Uganda Apostolicum Nuntium, legamus. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die altero mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO

IOSEPHUS card. TOMKO

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Praef. Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Carmelus Nicolosi, *Protonot.*

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 4, pp. 334-335 © Copyright 1999 - Libreria Editrice Vaticana